

lucidissima super altare descendit, et simul ingens suavitas odoris in eum omnem locum effusa est, lampadesque omnes accense divinitus. Tertium in Hispania, ubi cum Hermenegildus Regis filius a patre Ariano propter Fidem necatus esset, vise sunt noctu circa eum lampades accense, et Angelorum cantus a multis est auditus.

Duodecimo, ut scribit Gregorius Turonicus lib. II. hist. Francor. cap. 3. cum in Africa Cyrola quidam Patriarcha Arianorum Catholicos persequeretur, et eodem tempore tres sancti Episcopi, Eugenius, Vindemialis, et Longinus, qui præter cæteros ei resistebant, omnes miraculis coruscarent, voluit etiam hæreticos miraculum facere. Itaque cuidam quinquaginta aureos numeravit, ut se cæcum fingeret: sed dum transeunte per viam Cyrola, illè cæcum se simulans, Cyrolæ auxilium postularet; accessit Cyrola, et oculos ejus tetigit, imperans ut videret in signum veritatis, quam prædicabat: repente vero tantus ardor oculos illius miseri occupavit, ut coactas fuerit manibus eos comprimere, ne a fronte exilirent; tum vero delectit dolump, et Fidem catholicam alta voce confessus, a Sancto Eugenio signo Crucis repente curatus est.

His igitur, aliisque divinis testimoniis satis aperte probatur, eorum sententiam Deo inimicam esse, qui Dei Filium Deum verum esse negant. Sed jam tempus est, ut ad confirmandam Spiritus sancti divinitatem accedamus; quæ erat quinta pars disputationis instituta.

CAPUT XIII.

Demstratur Divinitas Spiritus sancti.

Quod igitur ad quantum attinet, probandum est, Spiritum sanctum esse verum Deum: id quod adversarii tametsi negant, tamen non magnopere de eo laborant; ipsi enim contendunt pro excellentia Patris: sed si ea excelentia tolli debeat propter confessionem alicujus personæ æqualis Patri, parum referre credunt, utrum ea persona sit una vel duæ. Itaque Valentinus Gentilis semper fere

dicebat, de Spiritu sancto non esse questionem. Transylvani autem lib. II. cap. 3. negant quidem Spiritum sanctum esse adorandum, aut vocandum Deum: tamen non accurate id probant, nec refellunt contraria. Quare contenti erimus id probare ex classicis argumentorum, quibus probavimus Filii divinitatem sed brevissime.

Prima classis ex Testamento veteri, quæ multa loca suppeditare posset, sed quia brevitate studemus, sufficiet unus locus. Sic igitur loquitur Scriptura divina II. Reg. XXIII. *Hæc sunt verba novissima, quæ dixit David. Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam. Dicit Deus Israel, mihi locutus est Fortis Israel, Dominator hominum* (1). Ubi aperte vides, illum ipsum, qui dicitur Spiritus Domini, eundem dici Deum Israel; ex quo sequitur, ut sit Deus verus.

Secunda classis ex novo Testamento, quod multa quoque loca subministraret, si opus esset: sed ille unus erit satis, ubi Dominus Apostolis dicit Matth. ult. *Evangelizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (2): non enim Dominus copularet cum Patre et Filio Spiritum sanctum, si creatura esset. Deinde, ut Sanctus Gregorius Nazianzenus ratiocinatur Orat. 3. de Theolog. Quomodo posset Spiritus sanctus per Baptismum nos regenerare, et Deos quosdam facere, nisi esset ipse verus Deus? nam *gratiam et gloriam dabit Dominus* (3), ait David in Psal. LXXXIII.

Tertia classis ex utroque simul Testamento clarissimum nobis testimonium præbet ad probandam Spiritus sancti divinitatem. Nam illum ipsum, quem Isaias vocat Dominum exercituum, quemque omnes fatentur esse Deum verum, illum, inquam, ipsum Apostolus dicit esse Spiritum sanctum. Sed ipsa verba Scripturæ audiamus. Isa. VI. *Dixit Dominus: Vade, dic populo huic, audite audientes et nolite intelligere etc. Act. ult. Bene Spiritus S. locutus est per Isaiam, dicens: Vade ad populum istum, et dic ad eos, aure audietis, et non intelligetis etc.* Præterea, omnes Prophetæ, cum sermones suos ad populum explicarent, nonne identidem repetebant: *Hæc dicit Dominus Deus?* at II. Petr. I, dicitur: *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*; igitur ille Dominus Deus erat Spiritus sanctus: quare Zacharias ait

Lucæ I. *Benedictus Dominus Deus Israel etc. Et mox: Sicut locutus est per os Sanctorum, qui a sæculo sunt Prophetarum ejus* (4). Quibus verbis non potuit clarius Zacharias exprimere Spiritum sanctum esse ipsum Dominum Deum Israel; quibus vocibus verum Deum significari adversarii passim testantur.

Quarta classis ex nominibus est, et quidem ex hac classe tria sumuntur argumenta. Primum negativum, quia nusquam in Scripturis Spiritus sanctus dicitur creatura, aut factus, cum tamen multis in locis enumerentur omnes præcipuæ creaturæ, ut Dan. III. in Cantic. pueror. Psal. CII et CXLVIII. ubi excitantur omnes creaturæ ad laudem Dei, et nominatim Angeli, celi, aquæ, homines, bestie etc. Spiritus vero sancti nulla mentio fit. Sic etiam Coloss. I, enumerantur nobilissimæ creaturæ, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates. Et I Petr. III. Angeli, Potestates, et Virtutes, ut illis omnibus Christus major esse demonstraret. Quibus locis debuisset omnino etiam Spiritus sanctus nominari, si creatura esset, et ipso Filio Dei minor, ut adversarii docent. At nusquam cum creaturis, semper cum Patre, et Filio Spiritum sanctum nominari videmus. Hoc argumentum faciunt multi Patres. Justinus lib. de rect. Fid. confess. init. Basiliius lib. de Spiritu S. cap. 18. Epiphanius in Ancor. non procul ab initio; et Chrysostomus homil. in illud: *Tunc et ipse Filius subjicietur* (2).

Secundum argumentum sumitur ab ipso nomine Dei: nam solus Deus verus in Scriptura dicitur absolute Deus, ut supra ostensum est ex Ireneo lib. III. cap. 6. at Spiritus sanctus vocatur absolute Deus. Actor. V. *Anania, cur tentavit Satanus cor tuum mentiri te Spiritui sancto? non es mentitus hominibus, sed Deo* (3). Ecce expressum nomen Dei tributum Spiritui sancto contra mendacium Transylvanorum lib. II. cap. 3. ubi dicunt, nusquam expresse vocari Deum Spiritum sanctum.

Tertium ex confessione adversariorum: nam Ariani eraserant ex suis codicibus illa verba: Joan. IV. *Spiritus est Deus* (4), ut testatur Ambrosius lib. III. de Spiritu S. cap. 11. ergo putaverunt Spiritum sanctum in

Scripturis Deum esse appellatum: si enim putabant sensum esse: *Spiritus est Deus*, id est, *Deus est spiritualis naturæ*, quare deleverunt illa verba? Sed magis eis nocuit littera sua, quam littera Dei: siquidem verba illa Dei non necessario de Spiritu sancti persona intelligenda sunt: at littera illa clamat, hæreticos Arianos in reprobum sensum datos esse, et in Spiritum sanctum peccare, cum malint Scripturas sanctas delere, quam errores suos deponere.

Quinta classis constat ex attributis: solus Deus est immensus et ubique: at de Spiritu sancto legimus Psal. CXXXVIII. *Quo ibi a spiritu tuo?* Et Sapient. I, *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*. Item, solus Deus est omnipotens: at de Spiritu sancto legimus Sapient. VII. *Omnem habens virtutem*. Item solus Deus cognoscit seipsum perfecte; at de Spiritu S. legimus I Cor. II. *Quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*. Et rursum: *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei*. Item, solus Deus est bonus: at de Spiritu sancto legimus Psalm. CXLII. *Spiritus tuus bonus deducit me in terram rectam*. Denique solus Deus habet templum: at de Spiritu sancto legimus I Cor. VI. *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti*. Et ita: *Portate et glorificate Deum in corpore vestro* (5). Quem locum tractans Augustin. lib. I. de Trinit. cap. 6. « Non est, inquit, creatura Spiritus sanctus, quia cui corpus nostrum templum exhibemus, necesse est ut huic eam servitutem debeamus, qua non nisi Deo servendum est, quæ Græce appellatur *λατρία*, » et lib. I. cont. Maximin. cap. ult. « Cum audis, inquit, nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti? » Et in eodem loco: « Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi? Cum ergo hæc audis, noli negare Deum esse Spiritum sanctum, ne templum creaturæ facias membra Creatoris »

Sexta classis ex operibus. Primo solius Dei opus est creatio, et tamen legis Job. XXXIII. *Spiritus Dei fecit me*. Et Psalm. XXXII. *Verbo Domini celi firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Et Psalm. CIII. *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur* (6).

Secundo, solius Dei est conservare, et tamen legis Sapient. I. *Spiritus Domini reple-*

(1) Isai. VI, 9; Act. XXVIII, 25 et 26; II. Petr. I, 21; Luc. I, 63 et 70. — (2) I. Cor. XV, 28. — (3) Act. V, 3. — (4) Joan. IV, 24. — (5) Psal. CXXXVIII, 7; Sap. I, 7; Sap. VII, 23; I. Cor. II, 11; Psal. CXLII, 10; I. Cor. VI, 19 et 20. — (6) Job. XXXIII, 4; Psal. XXXII, 6; Psal. CIII, 30.

(1) II. Reg. XXIII. 1, 2 et 3. — (2) Matth. XXVIII, 19. — (3) Psal. LXXXIII, 12.

vit orbem terrarum, et hoc *πνεῦμα*, quod continet omnia etc. (1).

Tertio, solius Dei est salvare, et justificare, et tamen legis I Cor. VI. *Justificati estis in nomine Domini Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri* (2).

Quarto, solius Dei est futura prædicere, et scrutari corda, et tamen legis II. Pet. I. *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Et Sapient. I. Renum illius testis est Deus, et cordis illius scrutator est verus, quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis, id est, idem Deus scrutatur corda, quia Spiritus ejus est ubique, omnia penetrat, omnia novit genero linguarum, etiam quæ in intimo corde sunt* (3).

Quinto, solius Dei est miracula facere: at Christus ipse in Spiritu Dei ejiciebat demonia. Matth. XII. Et Paulus I. Cor. XII. auctorem facit docti linguarum, sanitatum etc. Spiritum. Et Heb. II. omnia miracula quæ per Apostolos fiebant, vocat Spiritus sancti distributiones.

Sexto, solius Dei est Ecclesiam regere absoluta potestate: at Spiritus sanctus gubernat Ecclesiam, quæ est regnum Christi plane ut Dominus absolutus, et non minus quam Pater et Filius. Act. X. *Dixit Spiritus Petro, vade cum eis, nihil dubitans, quia ego misi illos*. Act. XIII. ait Spiritus sanctus: *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos*. Ibidem: *Et ipsi missi a Spiritu sancto*. Act. XV. *Visum est Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris*. Act. XVI. *Vetati sunt a Spiritu sancto, loqui verbum in Asia*. Act. XX. *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. I. Corinth. II. *Omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (4).

Septima classis constabat ex comparatione Spiritus sancti ad Christum: nam si probeamus Spiritum sanctum majorem Christo esse, quatenus Christus homo est; probatum erit quoque Spiritum sanctum unum esse Deum cum Patre. Siquidem adversarii nihil omnino esse volent Christo, quem nudum hominem faciunt, majus præter Deum Patrem.

(1) Sap. I, 7. — (2) I. Cor. VI, 11. — (3) II. Petr. I, 21; Sap. I, 6 et 7. — (4) Act. X, 19 et 20; XIII, 2 et 3; XV, 28; XIV, 6; XX, 28; I. Cor. XII, 11. — (5) Isai. XLVIII, 16; Joan, X, 36; Isai. LXI, 1; Luc. IV, 18; Rom. VIII, 3; Matth. I, 20; Joan. XIV, 10; Matth. XII, 28; Rom. VIII, 32; Hebr. IX, 14; Rom. VIII, 11.

Esse igitur Spiritum sanctum homine Christo majorem, demonstratur illis omnibus argumentis, quibus adversarii probant, Deum Patrem esse Christo majorem. Major est Pater homine Christo, qui eum misit, Joann. VIII. at eundem misit Spiritus sanctus; sic enim legimus Isaiæ XLVIII. *Et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus. Pater sanctificavit Filium. Jo. X. Quem Pater sanctificavit, et misit in Mundum. Sanctificavit etiam Spiritus sanctus. Isaiæ LI. et Luc. IV. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, evangelizare pauperibus misit me*. Item Pater Filii Incarnationem operatus est. Rom. VIII. *Misit Filium suum in similitudinem carnis peccati*. Idem operatus est Spiritus sanctus, Matth. I. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Item in virtute Patris Filius faciebat miracula. Joann. XIV. *Pater in me manens, ipse facit opera*. Et de Spiritu dicit Matth. XII. *Si ego in Spiritu Dei ejicio demonia, Item Pater Filium obtulit ad mortem. Rom. VIII. Proprio Filio non peperit, etc.* Idem fecit Spiritus sanctus Hebr. IX. *Per Spiritum sanctum obtulit semetipsum*. Denique Pater Filium suscitavit. Act. II. Idem Paulus dicit de Spiritu Rom. VIII. *Si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis* (5). Accedit, quod gravius est, peccare in Spiritum sanctum, quam in Christum hominem Matth. XII. ex quo plane sequitur, majorem esse Spiritum sanctum Christi humanitate, ac proinde esse Deum verum.

Octava classis ex Patribus: Patres citati pro Christi divinitate loquuntur et ibidem fere omnes etiam de Spiritu sancto; idcirco satis erit hic notare eorum nomina, qui ex professo scribunt de solius Spiritus sancti divinitate. Athanasius in epist. ad Serapion. Basilus I. III et V in Eunom. et lib. ad Amphiloeb. de Spir. S. Nazianzenus lib. V de Theol. Nissenus in lib. ad Eustath. quod Spiritus sanctus sit Deus. Epiphanius hæres. 74. Didymus libr. duob. de Spiritu S. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 16. et 17. Chrysostomus in homil. aliquot de Spir. S. Cyrillus Alexandrinus lib. VII de Trinit. toto; et lib. XIII et XIV. thes. et in lib. spec. de Spir. S. Hilarius lib. XII. Trinit. Ambrosius libris tribus de Spiritu S. Augustinus

lib. I, de Trinit. cap. 6. lib. I cont. Maxim. in fin. B. Thomas lib. IV. cont. gent. a cap. 16. ad 27.

Nona classis ex miraculis constat: sed quia miracula, quæ facta sunt ad confirmandam Christi divinitatem, eadem confirmant etiam divinitatem Spiritus sancti, solum repetemus ultimum miraculum supra commemoratum. Sic igitur scribit Gregorius Turonicus lib. II. histor. Francor. cap. 3. « Erant tunc temporis cum S. Eugenio viri prudentissimi, atque sanctissimi, Vindemialis et Longinus Episcopi, pares gradu, et virtute non impares. Nam S. Vindemialis eo tempore ferebatur mortuum suscitasse: Longinus autem multis infirmis salutem tribuit: Eugenius quoque non solum visibilibus oculorum cæcitate, sed etiam mentium depellebat. Quod cernens ille nequam Ariariorum Episcopus, vocatum ad se quemdam hominem ab illo quo ipse vivebat errore deceptum, ait, non patior, quod hi Episcopi multa in populo signa depromunt, illosque cuncti me neglecto sequuntur. Acquiesce nunc his, quæ præcipio, et acceptis quinquaginta aureis sede in platea, per quam nobis est transitus, et manum super clausos oculos ponens me prætereunte cum reliquis exclama magna virtute dicens, te Beatissime Cyrola nostræ religionis antistes deprecor, ut respiciens manifestes gloriam ac virtutem tuam, ut oculos meos aperiens merear lucem videre, quam perdidisti. Qui jussa complens, residensque in platea, transeunte hæretico cum Sanctis Dei, iste qui Deum irridere cogitabat, exclamavit magna virtute, dicens: Audi me Beatissime Cyrola: audi me sancte sacerdos Dei: respice cæcitate meam: experiar ego medicamenta, quæ sæpe cæci reliqui a temeruerunt, quæ leprosi experti sunt, quæ ipsi etiam mortui præseruerunt: adjuro te per ipsam virtutem, quam habes, ut mihi desideratam restituas lucem, quia gravi sum cæcitate percussus. Veritatem enim nesciens verum dicebat: quia cæcaverat eum cupiditas, et virtutem Dei omnipotentis irridere per pecuniam æstimabat.

Tunc hæreticorum Episcopus paululum se divertit, et quasi in virtute triumphaturus elatus vanitate, atque superbia, posuit manum suam super oculos ejus, dicens: Secundum fidem nostram, qua recte credimus, aperiantur oculi tui; et mox ut hoc nefas erupit, risus mutatur in planetum, et dolus Episcopi est patefactus in publico: nam tan-

tus dolor oculos illius invasit, ut eos digitis vix comprimeret, ne creparent.

Denique clamare cœpit miser, ac dicere: Væ mihi misero, quia seductus sum ab inimico legis divinæ. Væ mihi, quia Deum per pecuniam irridere volui; et quinquaginta aureos accepi, ut hoc facinus perpetrarem. Ad Episcopum autem aiebat: Ecce aurum tuum, redde lumen meum, quod dolo tuo perdidisti, vosque rogo gloriosissimi Christiani, ne despiciatis miserum, sed velociter succurrite pereunti: vere enim cognovi, quia Deus non irridetur. Tunc Sancti Dei misericordia moti: si, inquit, credis, omnia possibilia sunt credenti: at ille clamabat voce magna: Qui non crediderit Christum Filium Dei, et Spiritum sanctum æqualem habere substantiam, atque Deitatem cum Deo Patre, hodie quæ ego perfero, patiat. Et adiecit: Credo Deum Patrem omnipotentem: Credo Filium Dei Christum Jesum æqualem Patri: Credo Spiritum sanctum Patri, et Filio consubstantialem, atque coeternum.

Hæc illi audientes, et se invicem honore mutuo prævenientes, oritur inter eos sancta contentio, quis oculis ejus signum Beate Crucis imponeret. Vindemialis, ac Longinus Eugenium, ille contra eos exorat, ut manus imponerent cæco. Quod cum fecissent, et manus suas super caput ejus tenerent, Sanctus Eugenius Crucem super oculos cæci faciens ait: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti veri Dei, quem trinum in una æqualitate, atque omnipotentia confitemur, aperiantur oculi tui. Et statim ablato dolore ad pristinam rediit sanitatem: hæc ille. Atque hæc de Spiritu sancto sufficient.

Nunc ad postremam disputationis partem veniamus, atque adversariorum argumenta breviter confutemus.

CAPUT XIV.

Solvitur primum argumentum hæreticorum.

Igitur prima objectio Transylvanorum I. I. cap. 1 talis est. Christus et Apostoli prædixerunt statim venturum Antichristum fuisse post Christi obitum, et aboliturum Fidem

veram Christi : sed videmus post Christi mortem toto orbe terrarum adoratum Deum trinum in personis et unum in essentia : igitur aut Fides Trinitatis, est Fides Antichristi, aut certe mentiti sunt Christus et Apostoli.

Propositionem his testimoniis probant. Jo. V. *Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me : si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Item Joan. IX. *Me oportet operari, donec dies est, venit autem nox, in qua nemo potest operari : quando in Mundo sum, lux sum Mundi.* Luc. XXI. *Videte ne seducamini, multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum, et tempus appropinquavit, nolite ergo ire post eos.* Vide, inquit, quomodo Christus dicat tempus sue abolitionis in proximo fuisse. Actor. XX. *Scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Coloss. II. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, etc.* Quæ major Philosophia, quam disputationes de essentia, hypostasi, relationibus ? II. Thessal. II. *Mysterium jam operatur iniquitatis, etc.* I. Joan. IV. *Omnis spiritus qui solet Jesum, ex Deo non est, et hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, et nunc jam in Mundo est (1).* Ubi notant non esse dictum in carnem venisse, ne forte putarem aliquam personam divinam descendisse, et carnem assumpsisse : sed in carne, ut intelligeremus Christum nihil esse aliud, quam carnem, id est, hominem. Denique in epistola Judæ dicuntur jam ipso tempore ejus introgressi impii, qui negarent Deum et Christum.

Respondeo : miram esse Diaboli astutiam, qui argumentum Catholicorum ab antiquitate, et consensu totius orbis terrarum petitum, in nos retorquere conatur. Sed facile erit objectionem hanc primam diluere : constat enim, propositionem, qua totum argumentum nititur, esse falsissimam : nam si statim a morte Christi vera Fides ejus penitus abolenda erat, cur venit Christus ? cur laboravit ? cur mori voluit ? Ut nihil faceret ? at hæc stultitia fuisset, quæ in summam sapientiam cadere non poterat. Deinde, si omnino ita futurum erat, quid opus fuit præmonere, ut caveremus a seductoribus, qui nullo modo impediri poterant, ne totum Mundum perverterent ? Denique ubi essent illæ pro-

missiones Danielis II. et Lucæ I. *Et regni ejus non erit finis ?* Et illa Christi Matth. XVI. *Porte inferi non prævalebunt adversus eam.* Et Matth. ult. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Ubi etiam illæ promissiones manerent, quæ omnes gentes in Christum credituras testantur ? Genes. XXII. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Psal. II. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam, terminos terræ.* Psalm. LXXI. *Adorabunt eum omnes Reges, omnes gentes servient ei (2).* Hæc enim omnia necesse est falsa esse, si Christi regnum vix dum exortum destruendum erat : nec testimonia ab adversariis allata quidquam probant.

Ad primum locum dico : Ibi non haberi statim venturum Antichristum, nec abolendam esse omnino Fidem Christi : sed venturum suo tempore Antichristum, videlicet, prope finem Mundi, et venturum in nomine suo, non in nomine Patris. At noster Christus, quem totus Mundus colit, Patrem habet, Patrem agnoscit, et in nomine Patris venit. Denique ibi Christus alloquitur solos Judeos, nam cum dixisset : *Propterea querebant eum Judæi interficere, subjungit, dixit ergo eis Jesus etc. (3).* At Judæi Christum nostrum non receperunt, sed totis viribus oppugnant, nec Deum et hominem suum Messiam futurum credunt, sed purum hominem ; ille igitur de quo Christus loquitur, non est noster Christus verus Deus, quem gentes receperunt, sed est Antichristus, quem Judæi pro Messia aliquando recipient et sic exponunt hunc locum omnes Interpretes, ut Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, et cæteri.

Ad secundum locum dico : ibi per noctem non intelligi tempus quod fuit, et est ab ascensione Christi ; quasi dies tantum fuerit tempus illud, quo Christus corporaliter in Mundo vivebat : deinceps autem semper fuerit nox. Nam si ita esset, post ejus ascensionem nemo potuisset operari, et proinde nemo posset converti et credere : *Hoc est opus Dei, Joann. VI. ut credatis in eum, quem misit ille (4).* At si nemo potest credere : quare tantum laborant Ministri Transylvani, ut fidem suam nobis persuadeant ?

Diem ergo ibi Christus vocavit totum tem-

(1) Joan. V. 43 ; Ibid. IX. 4 ; Luc. XXI. 8 ; Act. XX. 29 ; Coloss. II. 8 ; Thessal. II. 7 ; I. Joan. IV. 3. — (2) Dan. II. 44 ; et Luc. I. 33 ; Matth. XVI. 18 ; Ibid. XXVIII. 20 ; Gen. XXII. 18 ; Psal. II. 8 ; Psal. LXXI. 11. — (3) Joan. V. 18. — (4) Joan. VI. 29.

pus hujus vitæ, et cursum omnium sæculorum usque ad Mundi consummationem, in quo licet salubriter operari ; noctem vero, tempus vitæ futuræ : *Quia nec opus, nec ratio erant apud inferos, ut Sapiens ait Eccles. IX.* Nec obstat illud : *Quando sum in Mundo, lux sum Mundi* : nam Christus etiam modo est in Mundo, quia Matth. filii ait : *Ecce ego vobiscum sum usque ad Mundi consummationem.* Et vere nunc est in Mundo, quia adest nunc per gratiam omnibus, et luget justis et impiis : at post judicium non erit amplius in Mundo, quia non lucebit impiis. Unde Isaias cap. LV. *Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est.* Et David in Psalm. XCIV. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra (1).* Atque hæc quidem explicatio est Augustini, et Chrysostomi in Commentario hujus loci.

Ad tertium posset dici cum Cajetano, illud *Tempus appropinquavit* non asseri a Christo, sed referri ut verbum seductorum, qui dicitur essent jam instare diem judicii. Unde Paulus monet II. Thessal. II. *Neque terraemini, quasi instet dies Domini etc. (2).* Dico præterea : Christum asserere quidem tempus appropinquasse, non quidem judicii, aut Antichristi, aut abolitionis Fidei sue, sed multorum seductorum, qui sibi nomen Christi usurparent, talis enim fuit Simon Magus tempore Apostolorum, et post eum Menander : uterque enim se Christum dixit, teste Irenæo lib. I, cap. 20 et 21. Et Josephus lib. XX, antiquitat. cap. 4, 11, 12 et 14 meminuit multorum, qui suo tempore Judeos seduxerunt, sequæ ipsos prædicarunt, ac si essent Salvatores Israel.

Ad quartum dico : Paulum loqui de hæreticis, qui non diu postea ex ipsa Asia prodituri erant ; sic enim ait : *Ex vobis ipsis (alloquebatur autem Asianos) exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se (3).* Id vero impletum esse in Montano, et Montani discipulis, aliisque hæreticis Asiaticis non dubium est. Vide Eusebium ex versione Rufini lib. V. hist. cap. 14 et seq.

Ad quintum dico : Paulum alloqui homines illius temporis, quia nondum nati erant Scholastici, qui disputant de Trinitate. Præterea Philosophia non docet unum Deum in tribus personis ; nec enim solo lumine naturali tam sublimia mysteria unquam investi-

gari, aut persuaderi potuissent : et nostri Doctores non disputant philosophice, ut ostendant Trinitatem, sed ut solvant sophisticata Philosophorum. Paulus ergo loquitur de Philosophia Ethnicorum, qui tunc vigeabant, qui negabant resurrectionem, et pollicebantur vitam beatam sine Christo.

Ad reliqua dico : Apostolos prædixisse hæreticos, qui fuerunt paulo post illa tempora, ut Ebionitas, Marcionistas, et cæteros, quos etiam vocant Antichristos, non quod essent eximius ille Antichristus, qui in fine Mundi veniet, sed quia erant præcursores illius, et illi similes in oppugnando Christo : sicut unus est Christus summus et eximius, et tamen omnes Prophetæ, et Reges dicti sunt Christi in Testamento veteri, juxta illud : *Nolite tangere Christos meos (4) I. Paral. Et hoc est mysterium iniquitatis quod cepit tempore Pauli, quia tunc cepit hæresis Simonis Magi, et similium.*

CAPUT XV.

Sequitur argumentum Secundum.

Secunda objectio Transylvanorum lib. I, cap. 1, et 3. Et lib. in explicat. I cap. Evang. secundum Joan. Tempore Apostolorum Ebion et Cerinthus docuerunt, Christum æternum descendisse in hominem Jesum, ut Irenæus docet lib. III, cap. 19, nec est verum, quod vulgo fertur, Ebionitas docuisse Christum nudum hominem esse ; igitur illi sunt veri Ebionitæ, qui Christum faciunt compositum ex duabus naturis.

Respondeo : et hæc etiam miram Diaboli artem fuisse, quæ hæresis Ebionis, quam Transylvani vere sequuntur, nobis attribuitur. Dico igitur veram hæresim Ebionis fuisse, Filium Mariæ nudam esse hominem, sed anno 30. in eum descendisse, et in eo habitasse aliam personam, quam dicebat Ebion esse Christum, et hoc modo fuisse Jesum unitum cum Christo per conjunctionem, et inhabitationem, quod idem Transylvani docent.

Ac ut mendacium eorum arguatur, profe-

(1) Eccl. IX. 10 ; Joan. IX. 4 ; Matth. XXVIII. 20 ; Isai. LV. 6 ; Psal. XCIV. 8. — (2) II. Thessal. II. 2. — (3) Act. XX. 30. — (4) I. Paralip. XVI. 22.

ramus testimonia Verum dicentium, Ebionem asseruisse, Filium Mariae purum hominem. Ignatius in epist. ad Philadelph. « Si quis, inquit, confiteatur Christum Jesum, sed eundem nudum esse hominem putet; huiusmodi serpens est, inops sensu, cognomento Ebion. » Irenaeus lib. III. cap. II. « Secundum nullam sententiam haereticorum Verbum caro factum est. » Et lib. I, cap. 25 et 26, dicit, secundum Ebionem et Cerinthum, Jesum nudum hominem natum, deinde autem descendisse in eum Christum in forma columbae, ut in eo habitaret. Et lib. III, cap. 20. « Ostendo quod in principio Verbum existens apud Deum, quod et semper aderat generi humano hanc unitam suo plasmati passibilem hominem factum, exclusa est omnis contradictio dicentium: Si ergo tunc natus est, non erat ante Christus. » Tertullianus lib. de carn. Christi, cap. 14. « Poterit, inquit, haec opinio Ebionum convenire, qui nudum hominem constituit Jesum. » Et lib. de praescript. haeret. cap. 43. « Cerinthus, inquit, Christum hominem tantummodo sine divinitate contendens. » Eusebius lib. III. histor. cap. 27, dicit, Ebionitarum quosdam facere Christum Filium Iosephi: quosdam solum Virginis; omnes tamen in eo convenire, ut ante Mariam non fuerit. Hieronymus de vir. illustrib. in Joan. dicit, S. Joannem compulsus ab Episcopis Asiae Evangelium scribere, et aeternam Christi generationem edicere propter Ebionitas, qui tunc docebant, Christum purum esse hominem. Augustinus haeres. 40. « Ebionaei, inquit, Christum tantummodo esse hominem docent. » Idem habet Joannes Cassianus lib. I. de incarnat. et alii nonnulli.

CAPUT XVI.

Solvitur argumentum Tertium.

Tertia obiectio ex lib. II. cap. 6. Nomen Dei non est nomen essentiae, sed dignitatis et imperii, ut patet, quia in Scripturis Principes et Iudices dicuntur Dii: sed Pater Christi habet imperium summum in omnes absolute, etiam in ipsum Christum; Chris-

(1) Joan. XIV, 28; Ibid. VI, 38.

tus habet imperium in omnes, excepto Patre; ergo Pater est summus Deus simpliciter, Christus autem est Deus summus post Patrem. Nam Joan. XIV. Christus ait: *Pater major me est.* Et Joan. VI. *Descendi de caelo non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me* (1). Et I. Cor. XV. Paulus dicit, Christum subjectum esse Patri, Christo autem omnia, solo Patre excepto, qui subjecti illi omnia.

Respondeo: nomen Dei, si respiciamus etymologiam, non significare imperium, sed providentiam. Dicitur enim *θεός*, a *θεός*, id est, *videre*, *θεω*, id est, *currere*, quia omnibus succurrit, ut dicit Damascenus lib. I. cap. 12. nisi magis placeat ratio Theodoretii lib. III, ad Graecos, qui dicit, hoc nomen inventum ab illis qui putabant sidera esse Deos, et quia sidera perpetuo currunt, Deum quasi eurrentem nominaverunt. Hebraei autem nomen primum Dei *יהוה* ab *יהי*, id est, *esse*, desumptum est, et illud *יהוה* quod vertitur *Deus ab יהוה* quod est *jurare*, quia per Deum juratur execratorie: sed undecumque sit sumpta etymologia, certum est, hoc nomen non esse impositum ad significandum solum imperium, sed rem summam et prestantissimam, alioqui Deus non esset aeternus, cum ab aeterno nihil fuerit, cui Deus imperare posset. Praeterea falsum est quoque, Filium Dei qua Deus est subjectum esse Patri, aut Principem esse Patre minorem. Siquidem ut Deus nulli subjectus est, sed omnium omnino extra se dominatur sicut Pater, cum sit Patri aequalis, Joan. V, et Philipp. II.

Ad primum ergo locum ex Joan. XIV. multi Veteres responderunt, Patrem dici majorem Filio ratione principii, non ratione naturae: notatur enim quaedam auctoritas in eo, quod Pater est principium Filii, non contra. Ita Basilus lib. I. in Eunom. Nazianzenus Orat. 4. de Theol. Hilarius lib. IX, de Trinit. et lib. de Synod. Quae solutio non est omnino improbanda: tamen non cogimur eam sequi, cum possimus facilius et probabilius exponere de Filio ratione naturae humanae: sic enim Chrysostomus, Cyrillus, Augustinus in hunc locum Joannis, et Gaudentius in epist. ad Paul. exponunt.

Adde, quod Chrysostomus in hunc locum, et Cyrillus lib. II. thesauri cap. 3. et Augustinus lib. II. Trinit. cap. 7. meminerunt

etiam prioris expositionis, et hanc tamen posteriorem praetulerunt, idque duplici de causa. Primum quia si ideo Pater diceretur major Filio, quia auctor ejus est, diceretur etiam tam Pater, quam Filius major Spiritu sancto propter eandem causam: at hoc nusquam legimus. Item Dominus ait: *Vado ad Patrem, quia Pater major me est* (1), ergo in ea natura est Filius minor, in qua vadit ad Patrem, non autem ibat ut Deus, sed ut homo. Adde testimonium Symboli Athanasii, ubi sic legimus de Filio Dei: *Aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem.*

Ad secundum locum idem responderi potest. Venit enim Christus facere voluntatem Patris sui, non voluntatem suam, quatenus videlicet habebat ut homo voluntatem humanam subjectam divinae voluntati, quam ipse idem habebat ut Deus. Sed dices: Dominus descendit de caelo, ut faceret voluntatem Patris: at non descendit ut homo de caelo, nec enim ut homo fuerat unquam in caelo; igitur descendit ut Deus; ergo, ut Deus est minor Patre.

Respondeo: descensus Filii Dei nihil esse aliud, quam ejus exinanitionem, et assumptionem formae servi: itaque ille ipse Filius Dei, qui descendit de caelo, obediebat Patri sed obediebat, non secundum formam Dei, quam habebat in caelo, sed secundum formam servi, quam descendens assumpsit in terris.

Ad tertium locum: *Tunc et ipse Filius subjectus erit etc.* (2) non defuerunt qui dicerent, Christum subjectum fore Deo post diem iudicii, significare naturam humanam Christi tunc convertendam esse in Deum, et absorbendam penitus a divinitate. Ita refert Augustinus lib. I, de Trinit. cap. 8 et 10. sed hoc tam est absurdum, ut non egeat refutatione; nam contrarium sequitur ex Pauli sententia; subjectio enim arguit distinctionem. Gregorius Nissenus, et Chrysostomus in tractatu proprio super hanc Pauli sententiam, et Cyrillus lib. X. thesauri, cap. 8. dicunt, Apostolum loqui de Ecclesia, sive de Christo ut est in suis membris; ut sensus sit: tunc demum futurum esse, ut totum Christi corpus, id est, omnis Ecclesia subjecta Deo conspiciatur, nullo membro existente rebelli, aut contumaci.

Ad videtur huic explicationi repugnare

(1) Joan. XIV, 28. — (2) I. Cor. XV, 28.

quod Paulus dicit, illum subjectum fore Patri, cui Pater subiecit omnia: ille autem est Filius in persona sua. Commentarii Ambrosii, Oecumenii, et Theophylacti accipiunt hanc Pauli sententiam de Filio Dei absolute, sed volunt illam subjectiorem non significare servitutem, sed concordiam cum Patre, et processionem Filii a Patre, ita ut Filius dicatur subjectus, quia est de Patre, non contra. Sed non est opus ad has angustias redigi; possumus enim cum Ambrosio lib. V. de Fide, cap. 6. et Augustino lib. I. de Trinit. cap. 8. et Theodoro, Primasio, Sedulio, et aliis in hunc locum, simpliciter exponere de natura humana Christi, quae vere subjecta erit Deo.

Sed cur dicit: *Tunc et ipse Filius subieciatur?* numquid tunc primum incipiet subiecti Christus homo Deo Patri suo? numquid non magis fuit subjectus, quando fuit obediens usque ad mortem?

Respondeo: illud tunc quamdam habere emphasisim; est enim sensus: etiam tunc in illa gloria erit subjectus Christus, ut homo Deo. Notant Graeci omnes, Paulum scribere ad Corinthios, qui paulo ante recesserat a fabulis gentium, quae docent, Deos inter se pugnare solitos, et a Jove Filio Saturnum patrem regno pulsum. Quoniam igitur dixerat Paulus Christum evacuatorem omnem principatum et potestatem, ne putarent Corinthii juxta fabulas a Christo etiam Patrem in ordinem redigendum esse, quomodo Saturnus a Jove filio in ordinem redactus fuit; ideo addit, omnia subiecienda Christo, praeter eum, qui subjecti ei omnia; et non solum hoc, sed etiam ipsum Christum etiam tunc in illo triumpho, postquam tanta fuerit, subjectum fore suo patri.

CAPUT XVII.

Solvitur argumentum Quartum.

Quarta obiectio ex eodem lib. II, cap. 6. Solus Pater est unus verus Deus, ut ipse Dominus ait Joan. XVII. *Agnoscent te solum verum Deum.* Et Paulus I. Cor. VIII. *Nobis autem unus est Deus, Pater.* Et I. Tim. II. *Unus*

Deus, unus et mediator Dei, et hominum (1). Si igitur solus Pater est unus solus verus Deus certe sequitur, Filium non esse verum Deum.

Confirmant hoc argumentum his sophis- matibus. Christus est Filius unicus veri Dei; ergo qui non habet Christum Filium, non est unus verus Deus; sed Trinitas non habet Christum Filium; ergo Trinitas non est unus verus Deus.

Præterea, Christus est mediator unius veri Dei; ergo qui non habet mediatorem, non est ille unus verus Deus: sed Trinitas non habet mediatorem sed solus Pater, alioqui idem esset mediator sui ipsius; ergo Trinitas non est verus Deus, sed solus Pater. Et confirmatur. Quia Christus non docuit invocare Trinitatem, sed Patrem suum: et orationes Ecclesie olim omnes dirigebantur ad Patrem, de quo exstat decretum Concilii Carthagi- nensis III. cap. 23. cuius non est alia causa, nisi quia solus Pater habet mediato- rem.

Respondeo ad primum locum dupliciter. Primo cum Chrysostomo, Cyrillo, Angus- tino in hunc locum, et Ambrosio lib. V. de Fide, cap. 2. particulam solum, non restringi ad Patrem, sed extendi etiam ad Filium. Nam dictum est: *Et quem misisti Jesum Christum* (2), ita ut hic sit ordo verborum, ut agnoscat te, et quem misisti Jesum Chris- tum solum verum Deum. Et affert Chrysos- tomus locum similem ex I. Cor. IX. *Aut ego solus et Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi* (3), ubi solus non excludit Bar- nabam, sed includit.

Secundo et facilius dico cum Hilario lib. IX. Trinit. solum Patrem hic dici verum Deum, sed tamen in Patre intelligi etiam Filium et Spiritum sanctum, qua sunt per- sonæ ejusdem essentie cum Patre, ita ut il- lud solum excludat tantum creaturas: Quod autem additur: *Et quem misisti Jesum Chris- tum*, dicatur de Christo ut homo est. Hic igitur erit sensus: *Hæc est vita æterna*, id est, *hæc est in hoc Mundo via, et ratio perveniendi ad vitam æternam, ut cognoscant homines per Fidem solum verum Deum*, id est, *te Patrem, qui es ille Deus, qui solus habet veram divini- tatem*; et præterea *cognoscant unum mediatorem Dei et hominum, quem misisti Jesum Chris- tum*.

(1) Joan. XVII. 3; I. Cor. VIII. 5; I. Tim. II. 6. — (2) Joan. XVII. 3. — (3) I. Cor. IX. 6. — (4) Joan. XIV. 14; Matth. XXVIII. 19.

Ad secundum idem dico. Illud enim *unus Deus* excludit falsos Deos, non Filium; sicut quod sequitur *Unus Dominus Jesus* excludit falsos dominos, non Patrem. Ad tertium di- co: Unum Deum eo loco significare totam Trinitatem, a qua distinguitur Christus ut mediator, id est, ut homo; ideo enim Pau- lus addidit, homo Christus Jesus.

Ad primum sophisma, negatur prima conse- quentia; est enim similis huic: Petrus est filius unius veri hominis; ergo qui non ha- bet filium Petrum, non est verus homo. Tametsi enim Deitas, non est quid universale ut humanitas, tamen est in pluribus suppo- sitis, et ideo vim habet universalis.

Ad secundum, nego assumptionem illam, Trinitas non habet mediatorem: nam Chris- tus mediator est ut homo, non ut Deus; et ideo mediator est non solum Patris, et Spi- ritus sancti, sed etiam sui ipsius, quatenus ipse Deus est. Sed de hac re in ultimo libro erit peculiaris disputatio.

Ad tertium, de usu precandi, fateor, ut plurimum orationes Ecclesie dirigantur ad Pa- trem, quia hoc modo commodius terminantur *per Jesum Christum Filium tuum*: tamen in Patre invocamus omnes tres personas, ut Tertullianus docet in lib. de Orat. et patet ex conclusione *Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus*. Falsum autem est, Christum solum patrem invocari voluisse: nam Joan. XIV. dicit Christus: *Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam*. Et Matth. ult. baptizari jubens omnes Gentes, *in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti* (4) quod aliud jubet, quam invocari Trinitatem? Et in Li- turgiis Basilii, et Chrysostomi Græcis, et in nostra etiam Latina non semel invocatur Trinitas; in Litanis quoque jam olim re- cepta est in Ecclesia illa formula precandi (etiamsi nolint cum novis Arianis Lutherus, et Calvinus) *Sancta Trinitas unus Deus, misere- rere nobis*.

Præterea Dionysius lib. de myst. Theolog. inquit: « Trinitas supersubstantialis dirige nos. » Et Nazianzenus Orat. 2 de pace, cir- ca finem: « O sancta, et adoranda, et longanimitas Trinitas (longanimitas enim es, quæ eos a quibus scinderis tandem toleras) uti- nam eos quoque adoratores accipias. » Et in Orat. ad 150 Episcopos: « Vale o Trinitas meditatio mea, et decus meum, his velim

serveris, et hos serves, etc. » Marinus Victo- rinos in 3. hymno de Trinit. « Da, inquit, peccatis veniam, præsta æternam vitam, dona pacem et gloriam, o Beata Trinitas. Libera nos, salva nos, justifica nos, o Beata Trinitas. » Augustinus in fin. lib. de Trinit. « Domine Deus, Deus Trinitas, quæcumque dixi in his libris de tuo, cognoscat et tui, si qua de meo, et tu ignosce et tui. Amen. »

CAPUT XVIII.

Solvitur argumentum Quintum.

Quinta objectio: Evangelistæ et Apostoli perpetuo inculcant, verum Christum natum esse ex Virgine, passum, mortuum, nec alium noverunt ante istum; alioqui Mat- thæus, Marcus, et Lucas non incõpissent Evangelium a nativitate, sed narrassent ali- quas res gestas Christi ante carnem, et Joannes non dixisset: *Hoc fecit initio signo- rum Jesu Joan. II. si ab æterno Christus fuisset*. Præterea Actor. II: *Certissime sciat, ait Petrus, omnis domus Israel, quæ et Domi- num eum et Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis* (1). At Christus æternus Deus non potuit fieri Dominus et Christus, quia id semper naturaliter fuisset, igitur ve- rus Christus non fuit ab æterno, ac propte- rea nec verus Deus esse potest. Hoc argu- mentum non semel repetunt Transylvani in illo suo opere, quod jam sæpe citavimus.

Possimus addere ad confirmationem hu- jus erroris (ut ex solutione magis elucescat veritas) quæ proferebant testimonia veteres Ariani. Igitur illi quidem Christum fuisse ante Incarnationem agnoscebant, sed crea- tum probabant ex illo Prov. VIII juxta LXX: *Dominus creavit me initio viarum suarum*. Et Eccl. XXIV: *Tunc dixit mihi creator omnium, et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*. Joan. I: *Qui post me venturus est, ante me factus est*. Coloss. I: *Primogenitus omnis crea- turae*. At primogenitus est similis fratribus in natura Heb. 1: *Tanto melior Angelis ef-*

fectus, quanto excellentius præ illis nomen ha- reditavit, etc. Et agitur hic de nativitate ex Patre, ut omnes docent Heb III: *Conside- rate Pontificem confessionis nostræ Jesum Chri- stum, qui fidelis est ei, qui fecit illum* (2).

Respondeo ad argumentum Transylvano- rum: nos quoque non agnoscere alium Chris- tum, quam eum, qui natus, passus, mortuus est: unus enim est Christus, non plu- res, tamen illum unum credimus his natum secundum duas naturas.

Ad illud, quod Evangelistæ non memine- runt ullius Christi ante carnem, dico: Evan- gelistas propositum sibi habuisse describere adventum Messie, et res gestas ejus, id est, Dei incarnati adventum, vitam, doctrinam, mortem, resurrectionem, etc. propterea non fuisse necessarium ut alius inciperent. Et tamen ne putarem, Verbum ante carnem non fuisse, Joannes Evangelista ita incipit: *In principio erat Verbum, etc.* Et in I. Epist. incipit: *Quod fuit ab initio, quod vidimus, etc.* Et in I. cap. Apocalyps. *Qui est, et qui erat, et qui venturus est* (3).

Ad locum Act. II respondeo cum Cyrillo lib. IX thes. cap. 3. Christum factum Do- minum a Patre ratione humanitatis, quomo- do etiam posset dici factus Deus, id enim factum est per incarnationem; ut ille homo Jesus sit Deus, et Dominus, non per partici- pationem et gratiam, sed per unionem Verbi et carnis. Posset etiam dici, ut idem Cyril- lus ibidem notat, *illud fecit positum esse pro declaravit*, sicut Philip. II: *Dedit illi nomen quod est super omne nomen* (4).

Ad illud Prov. VIII: *Dominus creavit me*, Patres multis modis responderunt. Prima responsio refertur ab Athanasio in lib. De decretis Nicæna Synodi ex Dionysio Roma- no, quod verbum Græcum *ἐξέωρα* hoc loco non significet facere, sed præficere, ut sen- sus sit: *Dominus in initio præfecit me omnibus operibus suis creandis*.

Secunda est Athanasii serm. 3. contra Arianos, et Cyrilli lib. V thes. cap. 6. qui dicunt, Scripturam promiscue usurpare vo- cabula facienti, creandi, gignendi. Nam Deuter. XXXII dicitur: *Deum qui te genuit dereliquisti*. Et tamen legitur Gen. I et II: *Fecit Deus hominem* (3), itaque non ex solo verbo creavit, aut genuit, sed ex adjunctis

(1) Joan. II. 11; Act. II. 36. — (2) Prov. VIII. 15; Eccl. XXIV. 12; Joan. I. 15; Coloss. I. 15; Hebr. I. 4; Ibid. III. 1 et 2. — (3) Joan. I. 1; I. Joan. I. 1; Apoc. I. 8. — (4) Philipp. II. 9. — (5) Dent. XXXII. 18; Gen. I. 27; et II. 7.

sensum Scripturæ elicere oportet. Et quia hic dicitur Filius creatus antequam Deus quidquam faceret, apparet, creatum dictum esse pro genitum.

Tertia est ejusdem Athanasii ibidem, et Nazianzeni Orat. 4. de Theol. Cyrilli lib. V thes. cap. 4, 5, 6, 7. et Augustini lib. I Trin. cap. 42. qui moment, in hoc eodem capite scriptum esse : *Ante omnes calles ego parturiebar*; et proinde hic explicari utramque naturam Christi, naturam divinam cum dicitur *parturiebar*, humanam cum dicitur *creavit me*.

Quarta est Basilii lib. II in Eunom. Epiphani hær. 69. quæ est Arianorum, et Hieronymi in epist. ad Cyprian. qui moment recurrendum ad fontem Hebraicum, siquidem in Hebræo non est *creavit*, quod ipsi dicunt ברא sed *possedit* קנה quo verbo solet explicari vera generatio, ut Gen. IV : *Possedi hominem per Deum* (1), dixit Eva quando genuit Cain אדם אה אה קנה; et hoc modo hic habetur קנה hoc est, *possedit per generationem*, et forte ita etiam verterunt LXX, sed depravatus est codex mutatione unius litterule, nam קנה, est *creavit*, קנה, est *possedit*.

Quinta est pulcherrima, et servit etiam sequenti testimonio Eccl. XXIV, ubi non potest negari quin scriptum sit *creavit*. Est autem hæc explicatio Concilii cujusdam Catholici Orientalis can. 5. apud Hilarium lib. de Synod. paulo post principium, et eandem sequitur B. Thomas lib. IV contra Gentes, cap. 8.

Dicimus igitur productionem Filii Dei nunc vocari generationem, nunc creationem, quia nullo vocabulo perfecte explicari potest : nam generatio significat productionem in eadem substantia, sed cum mutatione quadam generantis : creatio significat productionem alterius substantiæ, sed sine mutatione creatantis. Porro Filius Dei ita producit, ut recipiat substantiam genentis, et ea ratione dici potest generari : sed recipit sine mutatione. aut alteratione producentis, et ea ratione dici potest creari. Utrumque igitur dicitur, ut ex utroque sumatur, quod est perfectionis, et quod est imperfectionis omittatur.

Ad illud Joan. I : *Ante me factus est* dico, significari illis verbis, non Christum productum ante Joannem, sed Joanni prælatum, et antepositum fuisse, ac si Joannes dixisset,

(1) Gen. IV, 1.

qui post me venit, major me est. Ita explicat Ambrosius lib. IV. de Fide, cap. 3. et omnes Interpretes, ut Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, et colligitur ex textu, nam sic ait : *Ante me factus est, quia prior me erat, id est, processit me dignitate, quia æternus erat, et ego temporalis*.

Ad illud *Primogenitus omnis creaturæ* Cyrillus lib. X. thes. cap. 4. respondet : Christum dici primogenitum ut homo est, sicut dicitur unigenitus ut Deus est. Addit etiam, Christum posse dici primogenitum etiam ut Deus est, quia ipse est causa ut alii efficiantur Filii Dei; dicitur enim primum, quod est causa aliorum. Verum simplicior et magis ad litteram videtur Ambrosii et Chrysostomi Commentarius, qui docent, primogenitum omnis creaturæ dici Filium, quia est genitus antequam ulla creatura fieret, quod clarius dicitur Ecclesiastici XXIV : *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam*. Si enim ante omnem creaturam prodiit, non est ipse creatura.

Illud Hebr. I : *Tanto melior Angelis effectus*, etc. Chrysostomus et Theophylactus exponunt, id est, *declaratus*, et recte : nam hic agit de statu adepto post resurrectionem; sic enim ait Paulus : *Purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus*, etc. id est *post passionem exaltatus est, et declaratus tanto excellentior omnibus Angelis, quantum distat Filii gloria a conditione servi*. Potest etiam cum Cyrillo lib. VIII thes. cap. 2. illud *Effectus melior* significare *magis honoratus*, seu *pluris æstimatus* : quomodo dicimus pluris facio, vel majoris facio probum quam divitem, Angelum quam hominem, etc.

Ad ultimam patet responsio. Non enim dicitur Christus simpliciter factus ad Hebr. III, sed factus Pontifex, quod quidem verissimum est, si intelligatur, ut debet intelligi, de Christo qua homo erat, non qua Deus erat.

CAPUT XIX.

Solvitur argumentum Sextum.

Ultimâ objectio. *Beatus est dare quam accipere* (1). Ut Dominus ait, Apostolo teste Actor. XX, et potest idipsum ratione demonstrari. Nam dare est divitis et perfecti, accipere est indigentis, et imperfecti : sed Pater dat, et Filius recipit; dedit enim Pater Filio potentiam Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas*, etc. Dedit vitam Joan. V : *Dedit et Filio vitam habere in seipso*. Dedit sapientiam, ibidem : *Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei*. Et Joan. XV : *Quaecumque audivi a Patre meo nota feci vobis*. Denique quidquid habet Filius habet a Patre, Matth. XI : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (2); non igitur sunt æquales Pater, et Filius, et multo minus sunt unus Deus.

Neque satisfaciet qui respondeat : Patrem dare quidem Filio omnia, sed naturaliter et necessario, non libere et gratuito; tunc autem solum beatus esse dare quam accipere, quando quis libere dat. Nam etiam qui naturaliter dat, est perfectior eo qui accipit, ut patet de forma et materia, de cælo et terra, et similibus. Addebant Ariani : omnia quidem quæ habet Filius, habere a Patre, sed non omnia absolute habere quæ habet Pater. Nam Matth. XX dicit Filius : *Sedere ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo*.

Respondeo : tunc solum esse beatus dare quam accipere, quando qui recipit est in potentia ad recipiendum; et proinde est indigentis et imperfectus. Porro Filius Dei sic accepit vitam, ut tamen nunquam fuerit non vivens, sic accepit potentiam et sapientiam, ut nunquam fuerit infirmus et ignorans : nam hæc omnia accepit nascendo; ab æterno autem natus est, et perfectus natus est. Augustinus lib. III contra Maximin. cap. 24. *Beatus est, inquit, dare quam accipere*, « sed in hac vita ubi est inopia, qua utique melior est copia. » Vide Augustinum et Chrysostomum in cap. V Joan. ubi explicant Patrem

demonstrare Filio non docendo, sed signendo, et Filium audire a Patre non discendo, sed nascendo. Dicitur autem Pater demonstrare, et Filius audire, quia Pater communicando essentiam communicat scientiam.

Ad illam confirmationem ex Matth. XX dico cum Hieronymo, Chrysostomo, et Cyrillo lib. X thes. cap. 5. Christum voluisse dicere, non est meum, qui justus sum et sapiens, dare vobis primas sedes, quia amici vel affines mei estis, sed iis qui eas merebuntur; talibus enim Pater ab æterno destinavit, nec sine Verbo, et Spiritu sancto destinavit.

At, inquit, illi merebantur, non ait Dominus : *Potestis bibere calicem*, respondentesque : *Possumus*; ait, *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem*, etc. (3) Respondeo : per calicem epotationem illos meruisse regnum, sed non propterea primas sedes. Nam quod omnia absolute sint communia Patri et Filio, patet ex illo Joan. XVI : *Omnia que habet Pater mea sunt*. Et cap. XVII : *Omnia tua mea sunt* (4).

CAPUT XX.

Solvuntur objectiones contra Divinitatem Spiritus sancti.

Transylvani lib. II, cap. 5. nihil fere aliud adferunt adversus divinitatem Spiritus sancti, quam quod nusquam in Scripturis appelletur Deus, aut Dominus, quod argumentum fuit etiam veterum Arianorum, teste Gregorio Nazianzeno lib. V de Theolog. Sed facile est respondere : nam et falsum est, non vocari Deum, cum Actor. V legamus : *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto? non es mentitus hominibus, sed Deo*. Et I. Cor. VI : *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti*. Et paulo infra : *Glorificate ergo, et portate Deum in corpore vestro* (5). Et præterea, licet nomen *Deus* in Scripturis non haberetur, nonne satis esse debet, si evidenter ostendatur in Scripturis, ex operibus Deo soli propriis, Spiritum sanctum esse Deum? Quid, quod Scriptura nus-

(1) Act. XX, 35. — (2) Matth. XXVIII, 18; Joan. V, 26; Joan. XV, 15; Matth. XI, 27. — (3) Matth. XX, 22 et 23. — (4) Joan. XVI, 15; XVII, 10. — (5) Act. V, 3; I. Cor. VI, 15 et 20.

quam dicit, Spiritum sanctum esse creaturam; et tamen adversarii audacter Spiritum sanctum creaturam appellant?

Veteres Ariani objiciebant quaedam loca Scripturae, quae tamen facile a sanctis Patribus explicabantur. Primo objiciebant illud Amos IV: *Ego firmans tonitru, et creans spiritum* (1). Sed respondit Basilius lib. III in Eunom. ventum eo loco spiritum esse vocatum, non Spiritum sanctum, quemadmodum et in Psal. CXLVIII dicitur *Spiritus procellarum* (2). Eodem modo exponunt omnes interpretes ejus Prophetae, ut Hieronymus, Theodoretus et Rupertus.

Secundo objiciebant illud Rom. VIII: *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (3). Respondit Augustinus lib. I cont. Maximin. nunc Collat. cum Maxim. num. 3. non longe a principio, his verbis: «Intellige, inquit, locutionem, et blasphemiam devitabis: Sic enim dictum est: Gemitibus interpellat, ut intelligeremus, gemitibus interpellare nos facit. Denique alio loco Apostolus, cum dicit Clamantem Abba Pater; alio loco dicit, In quo clamamus Abba Pater, exposuit quid sit, Clamantem Abba Pater, dicens: In quo clamamus: ac per hoc, quid est Clamantem, nisi clamare facientem?» Haec ille. Chrysostomus quoque homil. 44. in epist. ad Rom. per Spiritum sanctum clamantem intelligendum esse docet donum orationis, quo anima clamat, ac gemit.

Tertio objiciebant illud Joels II: *Effundam de Spiritu meo* Jo. XV. *Cum venerit Spiritus veritatis, quem ego mittam vobis a Patre etc.* (4) Nam ut refert Augustinus lib. II Trin. c. 5. Ariani docebant, cum qui mittitur, minorem esse eo a quo mittitur, et quoniam legebant, Filium missum esse a Patre, Spiritum vero sanctum a Patre et Filio; inde colligebant, Filium minorem esse Patre, et Spiritum S. utroque.

Sed respondit Augustinus, missionem per modum imperii significare excellentiam mit-

tentis, non autem quamlibet missionem. Porro Filium et Spiritum sanctum non mitti secundum imperium, sed solum dici mitti, quia a Patre Filius procedit, et Spiritus sanctus a Patre et Filio, et tam Filius, quam Spiritus sanctus coepit ex tempore novo modo, et quidem manifesto, ac visibili esse in creatura. Nam Filius apparuit in carne, Spiritus sanctus autem in columbae specie, et rursum alias in linguis igneis.

Itaque illa manifestatio visibilis personae invisibilis ab alio procedentis, in Scripturis missio dicta est: nihil autem officere hanc missionem vere divinitati Filii, aut Spiritus sancti, ex eo colligit Augustinus, quod uterque missus est ad eum locum, ubi antea erat invisibili majestate: nam de Filio dictum est Joan. I: *In Mundo erat, et Mundus eum non cognovit*: et postea: *In propria venit*: et de Spiritu sancto in Psal. CXXXVIII: *Quo ibo a Spiritu tuo?* (5)

Objiciebant postremo, ejusmodi ratiunculam. Sunt modi duo agendi, per naturam et per artem: nam per naturam gignuntur Filii, per artem efficiuntur officia: at solum verbum productum est a Deo per modum naturae, siquidem est Filius unigenitus; igitur Spiritus sanctus ex arte processit, proinde officium est.

Respondemus: modum agendi per naturam duplicem esse in iis rebus, quae mente atque intelligentia praeditae sunt, unum per intellectum, alterum per voluntatem; nam et intellectus producit naturaliter notionem, et voluntas naturaliter producit amorem: hoc tamen interest inter Deum et creaturas, quod ille intelligendo atque amando substantiam producit, creatura vero accidentia; ex quo fit, ut Verbum et Spiritus sanctus verae sint hypostases; nostrae vero mentis conceptus, nostraeque voluntatis amor hypostases dici non possint. Sed de his plura dicemus in libro sequenti, si Dominus adjuvare dignabitur.

(1) Amos. IV. 13. — (2) Psal. CXLVIII, 8. — (3) Rom. VIII. 26. — (4) Joels. II. 28; Joan. XV. 26. — (5) Joan. I. 10 et 11; Psal. CXXXVIII, 7.

CONTROVERSIARUM DE CHRISTO

LIBER SECUNDUS

DE DISTINCTIONE PERSONALI A PATRE ET SPIRITU SANCTO.

CAPUT I.

De distinctione personarum in eadem essentia.

Haecenus ostendimus, unum verum Deum esse non solum Patrem, sed etiam Filium et Spiritum sanctum. Nunc ostendere oportet haec tria, Patrem, Filium et Spiritum sanctum esse vere tria quaedam supposita ac distincta, non autem tria nomina, aut tria entia rationis. Quae quidem questio disputanda est propter eosdem adversarios, novos videlicet Arianos, et novos Samosatianos.

Nam Valentinus Gentilis et ejus sectatores, etsi fatentur cum Ario, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum esse tria distincta re, tamen non agnoscunt in ipso vero Deo intrinsecam distinctionem, ita ut eadem essentia sit in tribus; et ideo nolunt Patrem dici personam primam, imo dicunt personam primam esse personam sophisticam, et quod horribilius est, diabolicam, ut patet ex historia Benedicti Aretii de supplicio Valentini Gentilis, et ideo etiam rident ista nomina, Essentia, Persona, Relatio, Proprietas, etc.

Porro Transylvani agnoscunt etiam Patrem a Christo distinctum, quippe qui Christum purum hominem faciunt; tamen ante incarnationem nullam agnoscunt in Deo distinctionem, ut patet ex lib. II, cap. 4. ubi dicunt, Verbum et Spiritum sanctum, quae leguntur in Scripturis Testamenti veteris,

esse potentias seu virtutes Patris, non distinctas ab ea persona relatione, aut proprietate. Unde etiam ipsi in toto opere rident ista omnia nomina.

Nos ergo primo disseremus de istis nominibus, ac ostendemus deduci ex Scriptura, et antiquissimis Patribus. Secundo probabimus, vere tres esse re distinctos, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, licet unus Deus sint, ut libro superiore ostendimus. Tertio solvemus praecipuas difficultates circa hoc ineffabile mysterium, quo unum numero Deum, tres personas re ipsa distinctas esse credimus, et docemus. Quarto disputabimus in particulari de distinctione Filii a Patre propter eos, qui Filium *advocatum* esse dicunt. Quinto de distinctione ejusdem Filii a Spiritu sancto, sive quod idem est, de processione Spiritus sancti a Filio.

CAPUT II.

De vocibus, quibus utimur in hoc mysterio explicando.

Quantum ad primum, nomina sunt haec, Essentia, Homousios, Hypostasis, Substantia, Persona, Proprietas, Relatio, Notio, Circummissio, Trinitas: de quibus vocabulis duo dicenda sunt. Primo refellenda quae in universum reprehendunt Transylvani lib. II, cap. 9. Deinde explicandum ordine de singulis. Illi igitur dicunt: haec nomina quamvis profana sint, tamen a nobis retineri quin-